

Johann Quistorp


Johannis Quistorpii Theol. D. & Professoris Orationes Duae : Una, in qua Schoristae, Altera, in qua Nationalia Collegia, seu Nationales Societates Delineantur ; Publice ab ipso in Auditorio Maiore recitatae ; Illa Anno 1621. die Octob. 25. ... assumpsit. Haec Anno 1625. die Maii 5. ... abiit

Rostochi[i]: Ferberus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742475271>


Druck Freier  Zugang






J. 581.

~~M. 1260.~~ 66.





^{B. 23}
JOHANNIS QVISTORPII
Theol. D. & Professoris

ORATIONES DUÆ,

Una, in qua

SCHORISTÆ,

Altera, in qua

NATIONALIA
COLLEGIA,

scilicet

NATIONALES SOCIETATES

Delineantur.

Publicè ab ipso in Auditorio Majorè recitatæ,

*Illæ Anno 1621. die Octob. 25. quando Rectoratum
secundò assumpsit.*

*Hæc Anno 1625. die Maij 5. quando Rectoratu
abijt.*



ROSTOCHI,

Per Augustinum Ferberum Anno M, DC, XXVII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The word "PHYSICA" is clearly visible in large, bold letters.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The word "ALIA" is visible.



O R A T I O I.

De

SCHORISTIS.



ETus est, ut nostis A. Academiae, hujus consuetudo, ut is qui sceptrum regiminis Academici capescit, magistratum suum ab oratione, quam ex hoc loco habet, auspicietur. Morem hunc veterem & laudatum ut & ego imiter, onus quod jam jam mihi impositum est, à me flagitat. Dum autem apud me de dicendi materia discepto, & quid in praesentiarum adferre debeam disputo, varia se obijciunt. Ex quibus ego, si non quod vobis Auditores gratissimum, & huic Auditorio dignum videbitur, sed quod moribus praesentibus accommodatissimum, judicavi, elegero, veniam vos mihi duros spero. Commendans Busridem Polycrates; Injustitiam Glauco; Therpsitem & quartanam febrem Favorinus; Calviciam Synesius; Muscam ac Parasiticam Lucianus; Moriam Erasmus; Pediculos Heinsius; suos & auditores & lectores invenerunt; quamvis eorum oratio in ijs rebus commendandis occupabatur, quae omnium voce condemnabantur. Et ego me, si, quod omnium odio & vituperio dignissimum est, contempsero, audientiam

A 2

entiam

entiam ad semihorulam impetratum dubitem. Estote illi ab ingenij acumine, & eloquentiæ donis, rebus malis à se commendatis, auditorem & lectorem parant: Ego adminiculis his destitutus, beneficio veritatis quam sectabor, à vobis ut audiar me obtenturum confido. Qui vester est candor, & in alijs audiendis ante probata facilitas, hoc mihi de omnibus ac singulis promitto.

Constitui apud me breviter delineare mores, vitam, ac studia Schoristarum, & aliorum qui sub studiosorum nomine latitantes, nihil aliud agunt quam ut omnis generis vitijs litent, & eos qui ad Academies nuper accesserunt, quos ipsi suis vocibus Innocentes & Pennales nominant, miserè divexent. Non à vobis omnium ordinum Excellentissimis viris, nec à vobis qui inter studiosos serio ad eruditionem & virtutem grassamini viam, id vitio mihi vorsum iri censeo, si hanc Academiæ nostræ pestem, verbis delinearo, quam oculis & auribus quotidie, non sine certo cordolio, usurpatis. Nec vos qui estis illis quæ exponam vitijs affines, ægrè ferre poteritis, si id quod res est dixerò. Nisi fortè id censetis, non licere cuiquam impunè id dicere, quod vos vobis impunè facere concessum esse arbitramini. Testor, me eum potissimum in finem hanc dicendi materiam elegisse, ut qui in hoc numero fuerunt, ved ad eundem accedere cogitant, juxta cum omnibus bonis Schoristicæ scurrilitatis foeditatem novisse, discerent: si fortè hac ratione ab ipsis impetrari posset, ut hosce mores profligatos, & hanc vitam plus quam beluinam odisse, & postmodum vitare inciperent. Felicem me prædicarem, si vel parum hæc

rum hæc dicendo, efficerem; feliciorem hanc nostram Academiam, quæ minus hac peste infestaretur; felicissimos illos ipsos qui vitia sua audientes, ab illis refugerent quam longissimè, & ex pessimis boni esse inciperent.

De Zeuze refert Plinius, quod is Junonem Laciniam ab Agrigentinis pingere rogatus contenderit, ut virgines Agrigentinas sibi nudas inspicere liceret; ex quibus ipse quinque elegit, & quod in unaquaque laudatissimum fuit, pictura reddidit. : Hanc in qua junctim cernebantur, quæ in pluribus elegantibus corporibus insigniora inveniebantur, Junonem formosissimam referre censebat. A me si quis quæreret, quomodo depingi debere censerem prodigiôsè deformem, non illum ad Theristum Homericum, monstrum illud hominis monstruosissimum, remitterem: sed illorum qui studiosorum nomine se venditant, & inter alios honestos juvenes contumacem nequitiam, & pertinacem malignitatem Schoristæ exercent, mores & vitam inspicere juberem. Si quæ in illis notat singula, penicillo exprimeret, propius ad prodigiôsè deformis hominis faciem, quàm Zeuzis ad formosissimam accedet. Ille nihil nisi exteriora corporis lineamenta, hic & corpus & animam simul oculis conspiciendum subiciet.

Vos ipsi, de quibus mihi sermo est, vestros vestrorumque complicum mores, vestra dicenda non dicenda facta, vestros plusquam beluinos incessus, clamores, boatus, discursiones contemplantini, si vel mica sani adhuc judicij vobis reliqua est, non potestis quin iuxta me cum affirmetis, non inveniri vobisipsis mon-

ORATIO I.

stra hominum monitrosiora. Agite ne hoc gratis me dicere putetis, ex vestris factis docebo, Esse vos Lupos rapacitate, Boves clamoribus, Tyrannos sævitiâ, Lucianos impietate; ex his si vos conflatos esse ex vestris factis manifestum fecero, monstra ne vos monstrosissima esse diffitebimini? Lupos vos esse initio dico rapacitate. Si quis novitius ad Academiam venit, non eum excipitis mitius quàm lupus agnum, feles murem, accipiter columbam. Hanc involatis prædam: hujus bonis, hujus pecuniolæ, qua sibi victum, libros, vestimenta parare debebat, lupi voracissimi devoratis. Nihil pensi habentes, quantum ei quem deglutitis ad studia, quorum gratia ad regias scholas missus est, continuanda, relinquatis; sed quantum vorago & gurges vestra quæ satiari nescit, exposcat: Vos sæpè illa quæ mater paupera noctes & dies colum vertendo, salem & aquam lingendo, suum geniũ defraudando ægrè comparat, ut filio familiæ spei sit, quo famam & frigus in Academijs propulset, vi miseris his extorquetis, & vestra rapacitate Lupina majore, una commestratione Schoriistica, schurrili rectè dicerem, deglutitis. Lupum ajunt quando ovile ingressus est, oves ad unum omnes necare, nec antè cessare, quàm singulos jugulavit: consimile vestrum est in bonos odium, si per vos staret, ne unus ex illis, quem juxta leges vivere, magistratui obedientiam & reverentiam præstare, publicas lectiones audire, linguas artes & scientias addiscere, cui in vita innocentiam, in studijs sapientiam, curæ & cordi esse cernitis, in Academijs vivere sineretis. Et quoscunq; tales deprehenditis, in hos sævitis, horum insidiamini crumenis,
horum

horum pecuniolas diripitis, devoratis, nec ante eos dimittitis, quàm omni exsueritis substantia. Plenæ cruoris hirudines cutem mittunt, & saturæ id cui adhæserant, corpus relinquunt. Vos ne satiri quidem disceditis, sed tanquam herpes exedens, & corpus ad ossa usq; depascens, prædæ quam semel invasistis, quantisper vel minimum reliquum est, quod vestra ingluvies capere possit, adhæretis. Lupi vocem homini quem priores contemplantur, adimunt, Plinio teste, Vos Lupi Academici Innocentibus illis, quos deglutitis, ita os obturatis, & omni eos voce privatis, ut super injuria sibi illata coram magistratu ne mutire quidem ausint. Rarissimè Auditores audivistis cuiquam horum scriptam dicam: Age enim tu quisquis es Innocentium, age acceptam ab aliquo horum Luporum vindicandam injuriam suscipe, dispeream, nisi omnes cæteri consimiles, facta conspiratione, sive catenaria, sive catilinaria, in tui unius perniciem concurrent. Hic unum noris, omnes noris: inter se congruunt: similia omnia: unus in noxa est, cæteri omnes ad defendendam causam adsunt, tradunt operas mutuas. Genuini hoc ipso lupi. Quemadmodum enim illi referente Æliano & Artemidero, quoties ipsis rapidum flumen transmittendum est, præhensis mordicus præcedentium caudis transnatant, ne vis fluvij singulos rapiat; ita & hi Lupi Academici, caudis malarum causarum sociorum suorum adhærent, ut judicij severitatem tanto rectius sustinere & perumpere possint. Contendite vos de quibus mihi sermo, vestros hos quos dixi mores, contendite vestra facta cum luporum genio, non lac lacti, non ovum ovo magis simile

ORATIO I.

mile quàm vos lupis esse cognoscetis. Nisi fortè hoc
 vobis cum lupis non commune esse putatis, quod Lu-
 bi affirmantur, non lædere animal ullum, in illa vicinia
 ubi suos educant catulos; vos autem in nullos sæ-
 viatis magis, quàm quos eadem provincia, idem re-
 gnum, eadem civitas juxta vobiscum natos vidit.
 Non abnuo si hoc vobis cum lupis non convenire
 censetis. hoc ipso lupis pejores quod in nullos quàm
 vestros populares & concives sævitis magis. hos non
 singuli singulos, sed ut tanto insignior sit feritas, in
 hanc rem, contra Academiæ statuta, quæ vobis sacro-
 sancta esse debebant, excogitatis & compactis Natio-
 nibus invaditis. Scio, & ex fide digno scio, ante men-
 ses pauculos è nationali Schoristarum collegio lega-
 tos, ex ijs qui ad hanc nostram Academiam nuper ad-
 venerant, duos adijisse. Uni, ut quindecim, alteri, qui
 ipsis ditior & à nummis instructior visus fuerat, in-
 junxisse, ut triginta flores statim numeraret, ni a-
 ctionibus miserè devexari, & pugnis malè tractari vel-
 let. Anne hoc est fame lupina majore illis inhiare,
 à quibus ingluvies lupina abstinet? Apud Atticos
 lege publica illi talentum decernebatur, qui catulum
 lupi interfecisset; duo talenta, qui adulum
 necasset. In quibusdam Marchiæ locis adhuc hodie,
 qui magistratui luporum recens natorum catulos à
 se occisos offert, hordei aut siliginis aliquot modij do-
 nantur. Quænam præmia illi A. E. qui hosce lupos
 ex Academia abigeret, destinanda putatis? Hercules
 illi, qui muscas ex Eleis abegerat, hostiam quam hinc
δορυμύιον vocant, mactavit, Pausania teste. Nos anne,
 huic luporum academicorum Abactori jure justiore,
 sacra

facra persolveremus? Sæpè repetita ipsius facti prædicatione ære perennius monumentum erigeremus? Ad vos Schoristæ me vicissim converto, & quod Secundò Boves vos esse clamoribus dixi, non puto vos exspectare, ut argumentis pluribus doceam. Clamant id omnes plateæ, testatur tota civitas, testantur omnes hujus urbis inquilini, Cives Academici, Cives Urbici: nullus est cui non sæpè clamoribus vestris bovinis de die molesti fueritis, Cujus non sæpissimè boatibus vestris quietem de nocte turbaveritis. Vos in domibus Academiae huic foro adjacentibus, Deo & bonis studijs dicatos parietes testes appello: vos de hisce horum boum clamoribus, boatibus testari potestis, vos illorum sæpè voces excepistis & æmula repetitione reddidistis.

Non sine admiratione & stupore A.E. accipimus, quod de Lapponibus referunt, qui inde ad nos veniunt, in varias illos beluas interdum transformari: mirari desinite, exempla habetis domestica, eos in Academijs respicite, qui seipsos homines, in boves quotidie transformant. At vos Anthropolycoboa monstra cogitate, DEUM spontaneam & petulantem hanc vestram cernere Metamorphosin: cogitate eum videre, quomodo vos, quos ad imaginem suam finxit, vos ipsos in boves clamoribus transformetis, & infra beluas imaginem illam Dei nobilissimam abjiciatis. Si regis & principis insigne in loco conspicuo collocatum, vi deturbaretis, in coenum projiceretis, & pedibus conculcaretis, non hoc impunè auferretis. Arbitrari ne potestis, regem illum regum & dominum dominantium sine indignatione cernere, quando vos ima-

B

ginem

ginem illam, ejus insigne diviniſſimum, petulanti malitia demolimini, & cum bovis imagine permutatis. Videt ille, videt, & vindice pœna vindicabit, niſi ſeria hæc lueritis pœnitentia, & vitam poſt in melius commutaveritis.

Pergo & vos Schoriſtas Tyrannos eſſe ſævitia tertio loco evincam. Aures arrigite Schoriſtæ, tyrannica veſtra facta ex multis paucula, verùm ejuſmodi quæ abundè aſſertioni fidem facient, audietis. Hoc vos in bona & corpora eorum quos Innocentes vocatis uſurpare, quod ſibi in ſubditorum bona & corpora vix licere Tyranni putant, aſſirmo. Vos vi illius imperij quod vobis in pennaſ (veſtra voce utor) conceſſum eſſe perſuaſiſtis. Iſtis imperatis, ut vobis, ſi Dijs placet, dominis ſenioribus, pocula tractantibus ipſi famuli adſint; cereviſiam & vinum ad nucum veſtrum aſſerant & fundant. Ex veſtro numero ſunt, qui junioribus imperant, ut piſtorum inſtar ſpiris onuſti incedant, quos quocunq; tempore flagitantibus porrigant. Ex veſtro grege ſunt, qui pennaſ chartas luſorias ſecum ſemper circumferre cogunt, quas ad luſus minus licitos exigentibus tradere jubentur. Obſecro vos, dicite mihi per conſcientiam veſtram, putetis ne Tyrannidem vos hæc patrantès exercere? Agite ſi hæc quæ verè gravia ſunt, vobis leviora videntur, facta veſtra, quæ hæc enumerata tyrannidè ſuperant, cognoscite. Ad veſtrum imperium juniores, veſtes, pileos, fascias crurales, collaria, libros, ecquid non, vobiſcum, aurea plumbeis, centones ſericis permutare coguntur. Quid hoc aliud eſt quàm Tyrannorum more ſibi in ſubditorum bona imperium vendicare, & illis

DE SCHORISTIS.

eos pro lubitu exuere? Ahab Tyrannus non ausus fuit Nabotho vi eripere vineam qua delectabatur, sed contendit ut eam, acceptans meliorem quam offerebat, secum permutaret, vel certo quodam pretio divenderet. Vestra Tyrannis hujus longè superat, vos à nolentibus vi illa, quæ vultis, ad vos pertrahitis. Oculis hisce meis A. vidi, aliquem ex Innocentibus, ut vocant, quum ex foro civitatis hujus majore per cœmiterium Marianum ad museum suum pergeret, à Schoristarum manipulo in ipso cœmiterio revocatum, & monitum, ut pallium quod aliquanto nitidus quàm hunc decere hi censores arbitrabantur, statim traderet, & depalliatum domum iret: quod cum facere renuebat, unus virgas quas pallio ante texerat, producebat, & minitari cum complicibus non dubitabat, nisi traderet, ipsum ijs in loco vicino quo pertrahere eum annitebantur, castigatum iri. nec effugisset credo, horum carnificum manus, nisi boni viri interventu liberatus fuisset. Memini alium quem in museo suo non vocati Schoristæ visitant, postquam omni pecunia quod ad œnopolas mittebatur, exuerant, & ipse non assuetus poculis cubitum prior concessisset, in lecto virgis malè tractatum. Scimus, ante annos non adeò multos juvenem frugi à Schoristis in cauponam publicam pertractum, quibus quum omnem quam habebat pecuniam enumerasset, & plura solvere juberetur, nec postularis respondere posset, ab ijs ipsis ita pugnibus & verberibus tractatum, ut ab illo die ægrota-
re inceperit, & post dies non adeò multos exspiravit. Habere alia Tyrannorum horum quæ recensere possem facinora, quibus illis quæ dixi fidem face-

rem. Verùm nihil addo amplius, non enim quemquam esse judico, qui ex illis pauculis, quæ non verbis amplificare, sed nudè recitare volui, non intelligat, si quis hos nostros cum Centauris, Lapythis, Cyclopibus, Phalaridibus, Neronibus tyrannis famigeratis committat, utris tyrannidis palma concedi debeat, meritò ambigi posse. Tu sol mundi oculo, & tu solis conditor Deus hanc sævitiam in hac schola ab ejus dedecoribus exerceri cernis, posses nos jure meritissimo, omnes, ô Deus, pessundare, igne cœlitus dimisso delere, vel terræ hianti nos devorandos committere. Te submissè oramus, ne patere nos omnes ejus quod quorundam est culpam luere, hosce ferocientes Centauros Spiritu tuo cicura: tu illa clementer impedimenta remove, quæ hætenus fecere, quominus id fieri potuerit, quod hi sua sævitia commeriti sunt Lapythæ: tu animum illis, quibus jus dicere demandatum est, inde, ut condigna de his supplicia fumant, ne conniventia sua pœnas sibi attrahant. Spero cum bono Deo, illum nobis aliquando illucescere diem, quo, si non penitus, hosce centauros sublato, minus saltem illos apud nos sævire cernamus.

Restat A. ut de Schoristarum nostrorum impietate differã, de qua certè nemo dubitabat, qui saltè nupera ipsorum impietatis exempla cognita habet, qui scit pronuper quosdam in ipsa collegij area confedisse, & loca Deo honestisq; studijs dicata, hosce Lucianos computationibus & expilationibus suis Schoristicis profanasse. Abutens vasis sacris Balsasar impietatis suæ pœnas Deo dedit, & vos divina vindicta sacris abutentes locis comitabitur. Satis hoc quod jam jam dixi

dixi, videri potuisset impietatis: officinam pietatis in fchoristicae foeditatis stabulum convertisse, nisi id majori impietate auctum sciremus. Quando ex horum contubernio quidam, ipso die sacris dicato, quando cerevisia se abunde proluerant, oclusis collegij Januis, Cathedras in quibus praëceptorum voces personare solent, conscenderant, & æmula pronuntiatione praëceptorum voces repetiverunt. Hæccine est illa quam praëceptoribus discipuli debent pietas & reverentia: proh DEUM immortalem quàm hi nostri absimiles sunt illis, qui in sacris laudantur Elisæi discipulis: illi praëceptorem venerabantur, hi suis illudunt; Illi ab ejus latere avelli non potuerunt, ut ejus doctrina salubri, exemplo quotidiano, colloquijs, sermonibus, doctiores & meliores quotidie evaderent; hi nil magis quàm praëceptores fugiunt, collegia in quibus docent (nisi forte ut jam dixi comessationibus eos profanaturi) non ingrediuntur, ingressuros arcent, Felicissimos se reputant, si quamlongissimè à praëceptorum & oculis & auribus remoti, inter sui similes, impietati, scurriliati, actionibus, mutuis divexationibus vacare possint. Habent tamen, ne illis hanc laudem invidemus, in Elisæi sæculo, quibus cum nostris hisce praëceptorum irrisionibus convenit, pueros Bethelenses, qui praëceptoris suo Elisæo subfannabant, & calvitiam ei perulenter exprobrabant. At anne scitis, hos in flagranti crimine ab urfis dilaniatos, in praëceptorem impietatis poenas dedisse? vobis ad tempus praëceptores ridere licuit & licet, at poenæ tarditatem gravitate DEUS compensabit. Hæc in praëceptores impietas & in magistratum contemptus, tantoperè in

hoc hominum genere excrevit, ut quò ulterius progrediatur, vix habeat. Scimus, ante pauculas septimanas quosdam ex hisce Lucianis, de die vèctes gestantes per plateas cum clamoribus incessisse, & faces ardentes sibi præferri curasse, ut tanto in sua nequitia & impietate essent conspectiores. O frontem horum hominum ferream! ô impudentiam ipsa impudentia impudentiorem! Reliqui mala patrans id agunt, ut vitia sua tegant & clam habeant. Illicitam venerem sectantibus noctis tenebræ suavissimæ sunt: fures de nocte in alienas irrepunt ædès, ne in scelere deprehendantur. Hi omnes improbitate vincunt, non saltem male agere non erubescunt, sed ut peccantes ab omnibus cerni possint, diei & soli facem addunt: in media luce tanquam cyclopes Homericici vèctes gestant, & impijs vocibus vicos complent. Si quis ex novo orbe interferas & beluas educatus, & impietati gentili assuetus, hunc vestrum incessum cerneret, hos vestros cum impietate conjunctos boatus audiret, & homines vos ex statura corporis, & Christianos esse ex aliorum relatu disceret, vix arbitror adduci posset, ut vel aliorum verbis vel suis oculis crederet. quia vos talia committere cernit & audit, quæ nec à gentibus veri Dèi agnitione destitutis, nec ab immanissimis feris committuntur. Et vos, si dijs placet, humaniorum literarum studiosi & Christiani dici vultis. Si hoc humanum est, omni humanitate exuta, infra bestias beluina feritate se abjicere; & si hoc Christianum, impietate ipsos ethnicos vincere: nemo est qui humanitatis studiosus justiore jure quàm vos dici mereatur. Si vestram in parentes & patronos impietatem

tem

tem persequi animus esset, & tempus pateretur, latissimus mihi hic dicendi campus panderetur. Pecunias, quas vobis parentes, laboribus & vigilijs multis acquisitas mittunt, ut ijs ea paretis quæ ad solidam eruditionem faciunt, in quos usus convertatis, malim, vos, ex conscientia vobis suggerente, quàm ex me referente, discere. Parentes se depauperant, ut vos ex Academijs domum redeuntes moribus comptis ornatos, linguarum, artium, ac scientiarum cognitione instructos cernant: Verùm quanta spe excidant, experientia quotidiana ostendit. Nihil vobis est rusticus, nihil ignorantius. In terra ignorantia, inter sues & vaccas, (si quis vos excuteret,) non inter eruditos, & comptos vixisse, arbitraretur. Quæ olim à majoribus, pio zelo, Deo & studijs consecrata sunt, dum à patronis & fautoribus impetratis, vos Veneri & Bacho consecratis. Proh quantas pœnas dedere Ananias & Saphira, partem ejus intervertentes, quod Deo destinarent! quæ vos manebunt pœnæ divinæ, qui illa turpiter dilapidatis, quæ Deo, Ecclesijs, Respub. Scholis pij Majores legarunt. Possent hæc A. uberius exponere, sed abrumpo, & quæ de hisce scholarum dedecoribus præterea dici possent, in aliud tempus rejicio. Tu nobis ex alto Deus ades alexicacos, arce à scholis hos Lupos, boves, tyrannos, Lucianos, quibus illa tibi sacra juvenus miserè corrumpitur, scholæ officinæ pietatis & honestarum artium conspurcantur, templis & Rebuspub. ruina & interitus procuratur. Quod super est à vobis omnium ordinum Excellentissimis Dominis auditoribus amicè contendo, in templum vicinū me comitemini, Deo, hunc meum magistratum, hanc nostram

nostram Academiam, urbem, ditionem, eorumq; præfides precibus commendetis, & ut nostræ communi patriæ Germaniæ, graviter satis hisce annis proximis bello vexatæ, & dilaceratæ, tandem prior tranquillitas & pax restituatur, ad Deum vota fundatis.

Ludovicus Vives de adolescentum
institutione.

PRæceptor non minus amandus, venerandus, colendus, quàm si esset pater. nam revera præceptores imaginem quandam nobis referunt patrum: & à nullo majus accipere potes beneficium, quàm à quo sis eruditior & melior. quibus duobus bonis nulla possunt in vita comparari. Adde quod facilius discas, si amaris docentem, cujus dicta nunquam vel contempseris, vel neglexeris, semper cum dignatione in animum admitte, & oraculi cujusdam vice habe. Nec solum illum ama, sed da operum, ut ab illo redamere, sic te diligentius docebit: quod assequeris, parendo modeste ejus præceptis, observando eum honorando, admirando quicumq; seu dixerit, seu fecerit. si quid probarit in vita, aut in sermone, sic age, ut sentiat, te illud probasse, si quid improbarit, vita. Attentus illum audi: verba ejus, formulas dicendi, sententias annota: imitatione te similem ipsius, quoad facere poteris, effinge. quod præceptor cum videbit, dabit vicissim operam, ne tu aliquid ex se possis accipere, quod imitatione sit indignum.

Condiscipulos fratrum locum habe. geniti enim es ab eodem magistro, velut patre: & conjuncti sacris literarum,
non mi-

DE SCHORISTIS, 15

non minore vinculo, quàm fratribus. Si quis eorum est te doctior, ne oderis eum hac causa: sed fave ingenio, & contende, ut doctrina & virtute sis par: etiam sapiens, quo similis tibi contingat favor.

Cum melioribus aut sapientioribus te, ne certes invidia, aut malevolentia, sed virtute, probitate, studio. Imperitiores te, ne despice, potius adjuva, & erige, ut queant ascendere. Neq; enim peior eris, aut imperitior, si alios habueris tibi pares; si opera tua illi eo evaserint. Quod si omnes fuerint imperiti, nemo erit, qui agnoscat, ac proinde admiretur bona tua. Pulchrum est profectò, certare cum bonis, pulcherrimum eos vincere, rectè quidem & per virtutem, extra dolum omnem.



C

ORA.



ORATIO II.

DE NATIONALIBUS COLLEGIIS.

SERIO DICO, AUDI-
tores, nihil me omnibus votis meis,
proximis hisce septimanis, exoptasse magis, quàm ut hic mihi dies, hac hora illucesceret, quàm Magistratum meum, quem elapso hoc semestri proximo gessi, deponere possem. Præter enim communes illas Cusitatas, quæ hoc officium comitantur, plurimas mihi C difficillimas, petulantibus quidam Reipubl. nostræ cives crearunt molestias; qui nullâ conscientia propria habitâ ratione, id operam dederunt unicè, ut legum, quarum me vindicem futurum esse hoc loco juramento promiseram, repagula perfringerent, C cum sui similibus, pro lubitu quidvis patrarent. Eos inter hos cum primis recenseo, qui, sub titulo familiaritatis vel amicitia, inter populares peculiaris, certis quibusdam legibus se conjunxerunt, corpus quoddam C Rempubl.

publ. Nationalem propriam ab Academia corpore
 distinctam constituerunt. Hanc ego, Auditores,
 sive Nationalem sive Provincialem appellare pla-
 cet Rempublicam, paucis, idq; hunc ad modum de-
 lineabo, ut dicam primò, quis eam regat & guber-
 net Magistratus; deinde, qui ejus sint cives, & quo-
 modo jus civitatis consequantur. Quod dum fa-
 cturus sum, Auditores, non hinc inde quaesitis ver-
 borum pigmentis, hoc Reipubl. monstrum depingam,
 nec ita in eo deliniando versabor, ut quæ sunt in hoc
 corpore singula, oculis vestris subjiciam, sed tenues
 easq; rudes tantùm lineas ducam; quibus qui volet,
 inducere vivos colores poterit. Aures ad horæ
 quadrantem vacuas mihi dari peto, quod si impetra-
 vero, diutius vos non detinebo.

Initio, Auditores, Magistratum, qui Nationali
 huic Reipubl. præest, considerate. Proh Deum im-
 mortalem, quàm nihil ille ejus habet, quod Jethro in
 consilio suo Mosi genero subministrato, in præsidibus
 & iudicibus requirit. Vult Jethro, præficiendos
 esse alijs viros, qui tales & ætate & prudentia sint
 verè viri. At in hac Nationali Reipubl. & annis
 & intelligentiâ pueri, qui vix ex ephebis egressi sunt,
 qui non sceptrâ imperij insignia, sed ferulas manu u-
 surpare assueverunt, fasces, egregiæ scilicet hujus
 C 2 Reip.

Reipubl. gerunt. *Ua regno, Jehovah interminante, cujus Rex puer est. Alterum, quod in Magistratu requirit Jehovah, est ut sint viri roboris. Hoc se jactare titulo praesides hos interdum audias, qui se sibi subjectos contra aliorum contumelias & injurias defensuros promittunt. Quin vel hoc solum nomine, Juniores, in quos imperium usurpant, sibi subjiciunt, quod eos tutos prestare velint. Nec negarim, non dubitare eos, contra Dei & Magistratus sui leges, sepius roboris sui fiducia, pro defensione suorum conflagere. At heus, o bone, non est Jehovahni de robore corporis sermo, quod tibi cum bobus, ursis, leonibus & alijs immantibus beluis commune, quoq; ab illis vinceris; sed de animi robore loquitur. Age si potes, hoc mihi vel in uno horum, de quibus loquor, ostende? quid hisce Nationalium conciliabulorum praesidibus levius? qui hoc uno fortes sunt, quod a nemine levitate & scurrilitate se vinci patiuntur, quod junioribus insultant, quod pergracando, beluando, boando se superiores agnoscunt nullos. Tertium, quod in eo, qui Magistratum sustinet, Jehovah desiderat, est timor Domini. at, o bone Deus, ubi vel micam Timoris Domini in hisce nationis praesidibus invenies? qui se Deum timerent, junioribus, in quos sibi imperium sumpserunt, virtutis & eruditio.*

eruditionis exemplo præirent, ab omnibus factionibus abstinerent, sine ulla consideratione nationis aut natalis soli omnes solida eruditioni & virtuti operam navantes, ac more & benevolentia complecterentur, non in convivis & poculis, sed optimarum artium, literarum & virtutum studiis, amicitia & virtutis vincula inter se necerent, non ad Academiam accedentes, & Rectori sub fide juramenti se parituros, & secundum Scholæ nostræ Leges & Statuta victuros promittentes, à Jurisdictione, Inspectione & Disciplina Rectoris & Professorum, ad suam nequitia Scholam pertraherent; non ad contemptum & neglectum virtutis & eruditionis ipsis duces præirent; quæ cum in hisce Nationalium conciliabulorum præsidibus & ducibus cernantur singula, nulla eos re minus quàm Timore Domini insignes esse, quis est qui negare ausit? Quartum quod in Magistratu Jethro requirit, est Veracitas. At quid his Nationalium Rerum publ. præsidibus mendacius est? qui si ve ipsi coram Academico Magistratu compareant, si ve illi, in quos sine suffragio populi præturam exercent, quos in eodem secum ludo docuerunt ad mendacium, eidem se sistant, id unice agunt, ut veritatem occultent maximè, ut quid in conventibus suis tra-

C 3

Etent,

Etent, clam habeatur, ne arcana, ne expilationes,
 ne scurrilitates, quæ in ipsorum conciliabulis fre-
 quentantur, pateſcant. Verbo dico, ipsorum ſtu-
 dium unicum eſt, ut illi, quem ipsis Deus dedit, Ma-
 giſtratui mendaciis imponant, & ipsi tenebriones
 ac lucifuga cum nequam ſuis factis ſub mendacio-
 rum nube lateant. Quintò, Magiſtratum Tur-
 pis lucri oſorem vult eſſe Jethro. At quid hi
 Rerumpubl. Nationalium præſides aliud agunt,
 quàm quòd ſe nil niſi turpe lucrum amare doceant.
 Anne Juniores ad Academiam accedentes pecu-
 nia, quam ſecum attulerunt, nequiſſimè emungere
 ſatagunt? anne ab hoc duos, tres quatuorvè, ab
 aliis decem & plures thaleros imperiales exigunt?
 anne eo pervenerunt, ut à quodam, qui ſe viginti
 imperiales ſoluturum promiſerat, quadraginta ex-
 torquere elaborarint? & neſcio nùm extorſerint?
 anne juniorum alios libris, alios gladiis, alios ocreis,
 alios pileis, alios aliis veſtibus privant, quibus ſe di-
 tant & veſtiunt? Quid eſt, ſi hoc non eſt turpe
 lucrum, à quo ſecundum Jethronem alieniſſimos
 eſſe præſides fas eſt ſectari? Hi ſunt, Auditores,
 egregii illi nationalis Reipubl. præſides, qui tantum
 abeſt, ut capita dici mereantur, ut vix cauda nomen
 ſuſtinere poſſint. Agite, videamus nunc Reipubl.
 hujus

hujus cives, & quomodo jus civitatis consequantur. Non sunt cives illi unius generis, sed quemadmodum ethnici in consuetudine sua deastrorum Republ. certas Deorum Classes habuerunt, quorum alij summi, alij medioximi, alij infimi censebantur, ita in hac quoque Republ. certi sunt civium ordines, quidam summi, quidam medij, quidam imi sunt sublillij viri. Quemadmodum verò illi, qui mercaturam in nobili illo Bergensi ad Septentrionem Emporio exercent, neminem admittunt, nisi aliquot vicibus antè virgis se cedi, & miris modis duriter tractari patiatur: ita & Senatus Reipubl. hujus Nationalis, quibus jus civitatis suæ concedit, quos privilegiis suis nequam frui permittit, divexationibus, Bergensibus longè durioribus inhiat: miseris illos ad annum & ultra habet, ministeria vilissima, quæ ne ancilla quidem latrinam lavans sustineret, obire cogit. Planius hæc dicam Auditores. Quando quis studiorum gratiâ ad Academiam primò venit, qui sunt juniorum ultimi, jam ante in hanc Rempubl. Sybariticam adscripti, adventantem jussu Dominorum Studiosorum (ut se qui ad Academiam anno citius missi sunt, nominant) ad nationale collegium vocant: Hunc, si id præ se ferre intelligunt, quòd inter populares suos, Nationalis Reipubl. cives, nomen

nomen profiteri nolit, dura illi diraq̃, comminantur, donec pervincant. Hic ubi minis fractus in conventu concivium comparet, quid solvere pecunie debeat, ipsi Seniorum unus indicat. Silentium & quòd nemini Reipub. arcana revelare velit, promittere cogitur. Fubetur deinde mensam conscendere, ligula quã femoralia adstrinxit, solvitur, in frustra secatur, in vitrum vel aliud vas cerevisiã repletum ea conjiciuntur; bibit inde junior: pennalis hinc, quod ut ipsi loquuntur, lumbricos imbiberit. salutari incipit. Hoc ille titulo insignis, aliorum per annum integrum, septimanas sex, dies, horas, minuta totidem, fit mancipium. Interea temporis, quoties ad Symposia, in quibus damnis desudescitur, Natio convenit, hi pennales seu juniores variis modis exercentur. Interdum mensas conscendere & in iis saltare coguntur. Videas miseros hos saltatores sæpius è sublimiori loco miserè in terram deturbari, & si non planè lumbifragium auferant, claudicare. Interdum, prout visum fuerit Dominis Studiosis scilicet, ad morem tyronum, quos summi duces belli, antequam cum hoste congregiuntur, velitationibus exercent, & hi literaria militiæ tyrones congregi, velitationibus quibusdam risum excitare, necesse habent. Quo fine certè ignoro, nisi vel hinc tempo-
ris


ris fallendi & sese oblectandi materiam Seniores
 quarunt, vel si postmodum cum aliis congregien-
 dum est, ut tantò eos ferociores producant. In-
 terim non licet Pennali, hocce ipsorum voce utor,
 periscelides propendentes, calcaria, gladium,
 qua Studiosorum esse ornamenta, falsissimò sibi per-
 suadent, gestare. Postquam hunc ad modum,
 primum annum cum additis septimanis, diebus &
 horis pennalis absolvit, à nationis Seniore, ad cujus
 genua provolvitur solemnibus quibusdam ritibus
 in nomine Trinitatis, ut peccata peccatis, savi-
 tiam impietate, & nominis divini abusu adau-
 geant, Studiosus pronunciat: jus, si velit, gladij
 gestandi, plumis, & aliis, quibus Studiosi defor-
 mantur, se onerandi accipit. Hic magnis se gra-
 dibus infert; qui antè per annum integrum & quod
 excurrit, terram spectavit. Hic, qui ante mutire
 ausus non fuit, vocalis fit, ut vel stentora in con-
 tentionem vorare ausit. Dixi hoc ipsi post annum
 contingere: Non negare tamen habeo, quosdam an-
 tequam annus à tempore adventus in Academiam
 praterlabatur, si ita Senioribus, penes quos determi-
 nandi & decernendi jus est, visum fuerit, id vel
 ex peculiari gratiâ, vel quod crebrius fit, si pecuniâ
 se redemerit, à pennalissimo liberari, gladio alligari
 & ocreis deturpari posse. Verùm non minoris hac
 D illis


illis constant, quàm qui ex Pontificiorum Purgatorio
 nummorum interuentu citius liberari finguntur.
 Factus jam Studiosus, & inter medij ordinis ci-
 ues Reipubl. hujus relatus, quod primo anno ab
 aliis pertulit, hoc sequente vicissim aliis infert, quos
 nihilo tractat mitius, quàm ipse a nte tractatus fuit.
 Hæc est illa Nationalis, cuius me tennes lineas du-
 cturum promisi, Respublica. Hic ille erucarum
 siue crabronum nidus, Academia nostræ calamitas,
 omnis pietatis, eruditionis, modestiæ pestis; impro-
 bitatis, petulantia, inscitia mater fecundissima;
 hoc illud Angiæ stabulum, quod fetorem suum
 non saltem per nostram hanc Academiam, sed per
 adjacentes regiones, provincias, civitates longè la-
 teq; diffundit, & à scholâ hac nostrâ, quæ ante plu-
 rimas fragrantia suâ allicibat, per quam multos
 arcet. Agite Vos, quos Academia huic DEUS
 præfecit, in eam incumbite curam, ut fundamen-
 ta hujus Republicæ pessima subvertatis, ejusq; ful-
 cra substrabatis, expurgate hoc Angiæ stabulum, ut
 fetere Academia nostra desinat. Bestiam hanc fero-
 cientem illis agredimini armis, quæ in vestra ma-
 nu sunt, Expugnabitis scio, Benedicetq;


DEUS ex alto,

DIXI.











DE NATIONAL. COLL
ris fallendi & sese oblectandi materia
quarunt, vel si postmodum cum aliis
dum est, ut tantò eos ferociores produ
terim non licet Pennali, hocce ipsorum
periscelides propendentes, calcaria,
qua Studiosorum esse ornamenta, falsiss
suadent, gestare. Postquam hunc a
primum annum cum additis septiman
horis pennalis absolvit, à nationis Senio
genua provolvitur solemnibus quibus
in nomine Trinitatis, ut peccata pec
tiam impietate, & nominis divini
geant, Studiosus pronuntiatur: jus, si
gestandi, plumis, & aliis, quibus Sta
mantur, se onerandi accipit. Hic ma
dibus infert; qui antiè per annum integri
excurrit, terram spectavit. Hic, qui
ausus non fuit, vocalis fit, ut vel stem
tentionem vorare ausit. Dixi hoc ipse
contingere: Non negare tamen habeo, quod
tequam annus à tempore adventus in
præterlabatur, si ita Senioribus, penes quos
nandi & decernendi jus est, visum fu
ex peculiari gratiâ, vel quod crebrius
se redemerit, à pennalismo liberari, gl
& ocreis deturpari posse. Verùm non

D

